


*fortuna rei*For II a
cum 593
juncto
his

AD
ORATIONES X 22A688A
QVAS
IVVENES
NOBILISSIMI AC PEREXIMII
CAROLVS GOTLOBIVS
IVSTVS
ET
CHRISTIANVS GODOFREDVS
SENFTELBIVS
ZITTAVIENSES
ANTE ABITVM
IN ACADEMIAS
FVTVRO DIE MARTIS
H. L. Q. C
HABEBVNT
BENEVOLE AVDIENDAS
PEROFFICIOSE AC PERAMANTER
INVITAT
BENIAMINVS GOTLIBIVS GERLACHIVS
AA, LL, MAGISTER ET GYMNASII DIRECTOR



IN ea semper uiri, et ingenio, et doctrina, excellentes fuerunt sententia, fortunam, nempe, reipublicae quam maxime coniunctam esse cum rei literariae fortuna, ut, literis uigentibus, ciuitas quoque bene se habeat: oppresso, contra ea, literarum studio, eadem similis existat orbi, solis lumine carenti. Credo equidem, fore nonnullos, quibus humanitatis studia tam leuia uidentur, nec satis digna, ut in iis excolendis multum temporis consumatur. Sed hi erunt fere, qui, omnis expertes eruditionis, de aliis rebus fortasse rectius, quam de salute rei, tam civilis, quam literariae, iudicare didicerunt. Philippum ergo Melanchthonem nos audiamus, optimum illum disciplinarum et artium, cum instauratorem, tum conseruatorem, qui omnem doctrinam, quasi uagam ac dissipatam, collegit, ad certamque rationem reuocauit. Hic enim summus uir, in breui quidem, sed graui, praefatione, quam Martini Lutheri, de constituendis scholis, et instituendis pueris, commonefactioni praemisit, est uero, inquit, omnino uis maior literarum, quam uulgo existimant: neque enim religionis ornamentum aliud splendidius est, et civilis rerum status prorsus e literis pendet. Haec Philippus, cuius iudicio stamus, Namque, sublata nobilissimarum artium ac disciplinarum cultura, atque intercepto ueritatis studio, qui decor ingenii, quae morum honestas supererit? quae elegantia uitam excolat? immo, quod maximum est, quis cultus manebit diuini Numinis? quae mentes humanas obligabit religio? Profecto, homines ipsi, quos Deus uult recta ratione uti, nonnisi speciem sui et figuram circumferrent, uita in beluarum naturam mutata: simulque omnis generis mala in orbem terrarum, uastae eluuiouis instar, irrumperent, atque barbaries reipublicas inuaderet et occuparet foedissima. Tantum studia literarum profunt rebus publicis, ut in illis, quemadmodum in femente spes messis, omnis non solum ciuitatis felicitas, uerum etiam totius reliquae uitae expectatio, posita esse uideatur. Proinde matrem felicitatis publicae rectissime dixeris esse Sapientiam. Sapientia uero nullibi floret, quam ubi optimarum artium ac disciplinarum studia, prout par est, tractantur: ubi libri, ab eruditis et sapientibus uiris scripti, lectitantur: ubi diserta atque elegans oratio in pretio est, quae, quantum in iudiciis obeundis, in legibus condendis, in ferendis sententiis, in omni denique negotio, domi forisque agendo, ualeat, haud ignotum est: ubi, praeterea, lux illa ueritatis et magistra uitae, Historia, quae schola Principum iure meritoque dicitur, uiget: ubi denique sobria Philosophia, quae errorum uitiorumque expultrix est, aestimatur. Hoc Plato, humanae sapientiae atque



ingeniorum princeps, opinor, prospexit, cum eas demum re-
publicas beatas felicesque diceret, quibus praecessent, qui, aut sa-
perent ipsi, aut sapientiae operam darent, siue, ut ipse loqui-
tur, qui essent Philosophi, aut philosopharentur certe. Futu-
rum enim, sperabat, sapientissimus uir, ut honeste, et iuste, et
innocenter uitam degerent ciues, si, penes quos summa rerum posi-
ta, et dicto praeciperent talia, et exemplo monstrarent. Haud
praetereundum hic nobis esse uidetur, quod Synesius, Platonici-
cae philosophiae sectator, non solum doctrina, sed genere quo-
que ac dignitate muneris, illustris, in ea oratione, quam ad
Paconium, amicum suum, scripsit, praeclare obseruauit, eam,
uidelicet, Italiae partem, quae magna Graecia appellata fuit,
in nonam usque aetatem mirifice floruisse, cum eisdem habe-
ret, et auditores Pythagorae, et ciuitatum rectores. Posteris
etiam temporibus fuerunt summi Principes, qui, cum, quem
ciuibus suis praeficerent, bonis studiis atque iis artibus, qui-
bus doctrinae liberales continentur, expolitum esse, oportere,
censuerunt. Caesar Augustus, cuius imperii magnitudo omnium
Regum potentiam, imperii magnitudinem felicitas, uirtus feli-
citem superauit, nepotem suum, Agrippam, cui iure sangui-
nis imperium debebatur, quod rudis bonarum artium haberetur,
imperio indignum, iudicauit. Pluribus, cum Graiorum, tum
Romanorum, exemplis doceri posset, beatas fuisse respublicas,
cum doctrina sapientiumque hominum consilio regerentur.
Quantus uir fuerit M. Tullius Cicero, nemini humaniori obscu-
rum esse poterit. Is uero, cum in oratione pro Archia, Poeta,
de praestantia literarum grauissime dicit, multos quidem homi-
nes excellenti animo ac uirtute fuisse, et sine doctrina, naturae
ipsius habitu prope diuino, per se ipsos et moderatos, et graues
extitisse, fatetur. Etiam illud adiungit, saepius ad laudem atque
uirtutem, naturam sine doctrina, quam sine natura ualuisse
doctrinam. At uero idem ille contendit, cum ad naturam e-
ximiam atque illustrem accesserit ratio quaedam conformatioque
doctrinae, tum illud, nescio quid, praeclarum ac singulare so-
lere existere. Idem Tullius, qui in negotiorum ciuiliu[m] admi-
nistratione diu multumque uersatus fuit, Quinto, fratri suo,
affirmat, se omnia, quae in tractanda republica, consecutus
esset, iis studiis artibusque adeptum, quae Graeciae monimen-
tis disciplinisque traditae essent. Ex quibus satis, opinor, con-
stabit, quantopere et literarum scientia, et eloquendi elegancia,
et rerum gestarum cognitio, et sapientiae studia iis, qui rebus
publicis tractandis praeficiendi, sint necessaria. Quocirca Fri-
dericus, Saxo, is, qui Sapiens usurpatur, optime iudicauit, ut

FK Ta 593

scholae floreat, recteque se habeant, tantum interesse reipublicae, nullius ut rei magis, itaque in ea mente semper futuri sumus, illam demum ciuitatem florentem ac felicem existere, in qua, praeter ueram sinceramque religionem, politorum cultura literarum tiget, et praeclara historiarum ac sapientiae studia aestimantur, sine quibus nec addisci uirtus, et bene gubernari reipublica non potest.

Quaerat autem quispiam, annon fortassis uariam ac disparem reipublicae formam uaria quoque ac dispar literarum scientiarumque sequatur fortuna. Res est, fateor, de qua in utramque partem disceptari potest, quemadmodum etiam aliquot annis ante factum meminimus. Suafu igitur nostro, hoc in se suscepit negotium nobilissimum, atque ingenii laude florentissimum, Iuuenis, CAROLVS GOTLOBIVS IVSTVS, Zittauensis, paternarum uirtutumque uirtutum aemulus et imitator felicissimus, qui ante discessum suum in Academiam Vitembergensem, quem Deus immortalis faustum felicemque esse iubeat, ubi iuris, tam publici, quam priuati, cognitioni atque intelligentiae summo studio operam dabit, breui, sed comta, oratione, omnem reipublicam, siue ea unius, siue optimatum, siue populi, arbitrio administraretur, ad literarum florem et incrementum idoneam esse, demonstrabit, atque simul gratum erga Deum, Patronos, et Magistros suos, animum declarabit. Posthaec, aliquot praeclarae expectationis Iuuenes, nempe,

IOACHIMVS BENIAMINVS SCHROTHIVS,	} Sermone Latino, Carmine Germanico, uien- Prosa patria, et ses, Lingua Gallica,
GOTLOBIVS AVGVSTVS GEBHARDVS,	
IOACHIMVS GOTLIBIVS STREMELIVS,	
FRIDERICVS AVGVSTVS IVSTVS,	

amico suo, de curriculo scholastico, laudabiliter confecto, gratulabuntur, eumque faustis acclamationibus prosequentur.

Quibus peractis, alter in Academiam Lipsiensem abiturus, pereximius, nempe, atque ornatissimus Iuuenis, CHRISTIANVS GODOFREDVS SENFTLEBIVS, Zittauensis, de quo pariter optima quaeque speramus, eidemque prosperos in sacrarum literarum studio successus ex animo comprecamur, de Cultura literarum, ad salutem reipublicae maxime necessaria, breuiter disseret, atque una tam multa, a Deo, Patronis, ac Praeceptoribus suis accepta, bona publice praedicabit.

His etiam finitis, studiorum socio atque amico carissimo alii ex commilitonibus bonae spei Adolecentes, uidelicet,

Io. GVILHELMVS VVALTHERVS, Zittauensis, Carmine Germanico,
ADOLPHVS GODOFREDVS GERLACHIVS, Mulhufinas, Sermone Latino,
Io. FRIDERICVS SCHOLZIUS, Zittauens, Oratione Germanica, et
CHRISTIANVS AVGVSTVS HERZOGIVS, Zittauens, Elegia Latina,
applaudent.

Expetunt autem sibi Vestram, Patres Patriae Magnifici atque Amplissimi, ceterique omnium ordinum ac dignitatum Literati atque literarum Existimatores maxime uenerabiles atque nobilissimi, beneuolentiam audiendique studium, quo futuro Martis die, ab hora VIII, matutina, in loco consueto, dicturos complectamini. Speramus etiam, fore, ut eorundem expectationem, pro uestro in bonas literas studio, sustineatis, atque honestas mentes ad studium gloriamque, tanquam muta commendatione, magis magisque excitetis. P. P. A. D. IV. Calend. Maias, qui dies in sanctioribus temporum Commentariis uocatur Dominica Misericordias Domini, A. S. R. MDCCCLIV.

ZITTAVIAE LITERIS IOANNIS GOTLIBII NICOLAI,

FK. 126

33.

fortuna rei

For II a
cum
junct
ha
593



AD
ORATIONES X 231688A
 QVAS
 IVVENES
 NOBILISSIMI AC PEREXIMII
CAROLVS GOTLOBIVS
IVSTVS
 ET
CHRISTIANVS GODOFREDVS
SENFTLEBIVS
 ZITTAVIENSES
 ANTE ABITVM
IN ACADEMIAS
 FVTVRO DIE MARTIS
 H. L. Q. C
 HABEBVNT
 BENEVOLE AVDIENDAS
 PEROFFICIOSE AC PERAMANTER
 INVITAT
BENIAMINVS GOTLIBIVS GERLACHIVS
 AA, LL, MAGISTER ET GYMNASII DIRECTOR

